

lis Portibus Navium Stationibus Æstuariis Fluminibus et Fretis ad Regionem vel Insulas prædictas pertinentibus Omnesque Fundos Terræ Campestris Sylvas Montana Paludes Lacus Flumina Æstuaria et Freta infra Metas Terminos et Limites prædictos scituata seu existentia Cum cujuscunque Generis Piscium tam Balænarum Sturgeonum et aliorum Regalium quam aliorum in Mari sinibus Fretis vel Fluminibus infra Præmissa Piscationibus et Piscibus ibidem captis Omnesque insuper Auri Argenti Gemmarum et Lapidum pretiosorum et alias quascunque sive Lapidum sive Metallorum sive alterius cujuscunque Rei aut Materiæ Venas Mineras et Fodinas tam apertas quam occultas infra Regionem Insulas seu Limites prædictos repertas et reperiendas Et hoc amplius omnium Ecclesiarum quas (crescente CHRISTI Cultu et Religione) infra dictam Regionem Insulas Insululas et Limites prædictos futuris Temporibus ædificari contigerit PATRONATUS et ADVOCATIONES una cum Licentiâ et Facultate Ecclesias Capellas et Oratoria, in Locis infra Præmissa congruis et idoneis extruendi et fundandi eaque dedicari et sacrari juxta Leges Ecclesiasticas Regni nostri *Angliæ* faciendi Cum omnibus et singulis hujusmodi ac adeo amplis Juribus Jurisdictionibus Privilegiis Prærogativis Regalitatibus Libertatibus Immunitatibus Juribusque regalibus et Franchesiis quibuscunque temporalibus tam per Mare quam per Terram infra Regionem Insulas Insululas et Limites prædictos habendis exercendis utendis et gaudendis prout aliquis Episcopus *Dunelmensis* infra Episcopatum sive Comitatum Palatinum *Dunelmensem* in Regno nostro *Angliæ* unquam antehac habuit tenuit usus vel gavifus fuit seu de Jure habere tenere uti vel gaudere debuit aut potuit.

V. IPSUMQUE modo Baronem de *BALTIMORE* et Hæredes suos Regionis prædictæ cæterorumque omnium Præmissorum VEROS et ABSOLUTOS DOMINOS et PROPRIETARIOS (exceptis præ exceptis) salvâ semper Fide et Ligeanciâ ac Dominio directo NOBIS Hæredibus et Successoribus nostris debitis pro NOBIS Hæredibus et Successoribus nostris FACIMUS CREAMUS et CONSTITUIMUS per Præsentes HABENDUM TENENDUM POSSIDENDUM et GAUDENDUM prædictam Regionem Insulas Insululas et cætera Præmissa præfato modo Baroni de *BALTIMORE* et Hæredibus et Assignatis suis ad solum et proprium Opus et Usus ipsius modo Baronis de *BALTIMORE* Hæredum et Assignatorum suorum imperpetuum TENENDUM de NOBIS Hæredibus et Successoribus nostris Regibus *Angliæ* ut de Castro nostro de *Windfor* in Comitatu nostro *Berkeiæ* in libero et communi SOCCAGIO per Fidelitatem tantum pro omnibus Servitiis et non in Capite nec per Servitium militare REDDENDO inde NOBIS Hæredibus et Successoribus nostris DUAS SAGITTAS INDICAS Partium illarum apud dictum Castrum de *Windfor* singulis Annis tradendas in Die Martis in Septimana Paschæ Ac etiam quintam Partem omnis Metallum Aurei et Argentei *Anglicè of Gold and Silver Ore*, quod infra prædictos Limites de Tempore in Tempus contigerit inveniri.

VI. UT vero prædicta Regio sic a NOBIS concessa et descripta cæteris omnibus illius Terræ Regionibus præfulgeat et amplioribus Titulis decoretur SCIATIS quod NOS de ampliori Gratiâ nostrâ certâ Scientiâ et mero Motu nostris dictam Regionem ac Insulas in PROVINCIAM erigendas esse duximus prout eas ex Plenitudine Potestatis et Prærogativæ nostræ regis pro NOBIS Hæredibus et Successoribus nostris in PROVINCIAM ERIGIMUS et INCORPORAMUS eamque TERRAM MARIÆ *Anglicè MARYLAND* nominamus et sic in futuro nominari volumus.

VII. ET quoniam præfatum modo Baronem de *BALTIMORE* totius Provinciæ antedictæ verum DOMINUM et PROPRIETARIUM superius fecimus et